



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Anastasius Mart. 22. Januarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

tenentes in manibus, ut illas perseveranter largiantur, Pudeat te, oro pudeat in conspectu celestis senatus & Imperatoris aeterni segniter dimicare. B. Iustinian. in fascic. amoris.

S. ANASTASIUS MART.
22. Ianuarij.

O Pima spolia abstulisse in Persiam in Cosrhoas putavit, cum Crucem abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè multorum fides nostra in animum, simul Crux in oculos venit, interque eos ANASTASII celebris magni filii, qui cum de Cruce Crucisque anathemate multa curiosè quærerent, jam tum gestiebat magna pati pro maxima patiente Christo. Itaque sanctissimus transfuga Ierosolimæ Christianum, mox monachum induit; nullâ re sic delectatus, uti res fortiter à Divis gestas legendo, martyribus præsertim, quibus ille tot Palmas tyro invidebat, & interea cum sanguinem nondum posset, lacrimas ubertim fundebat. Ut primum ergo in privato pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultrò hostem læcessens. Igitur ad latomias damnatus saxa tulit, dein verbera. At ille supinus membra etiam nuda lubens pulsanda præbuit, modo vestibus sanctis parcerent. Tanti illi jam tunc fecit cucullum, quem heri

heri natus ridet hodie hæreticus. Cæterum collum pedemque communibus cum nescio quo scelerato vinculis ligatus dies noctesque velut Hilaria inter cantus solemnes traduxit, ut jam ad se Cælites etiam raperet pontificali majestate & insolito splendore insignes, quos inter visus est unus aliquis odoribus (ah! qualibus?) Martyrem venerari. Igitur post altera virgarum clavæque verbera, post tibias fractas aliaque supplicia, tandem cum XL. sociis Martyrum torque, laqueo, est donatus.

Ex Surio.

Non interrogas ò homo ea, quæ pateris, sed quæ Christus passus est; quanti te fecit ex his, quæ pro te factus est, agnosce. Quanto enim minorem se exhibuit in humanitate, tanto majorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. S. Bern. serm. I. de Epiph.

S. CLEMENS E. M. 23. Ianuarij.

Triumphavit CLEMENS Præsul Ancyranus sub annum CCC. III. quando sub sacrificium (ad quod aliàs Cælites illi panem & vinum ministrarunt) ferro cecidit. Rarò tam splendide in cælo est triumphatum. Lictores labore fessi victique innumeri præcessere. Acti ante currum tyranni, Domitianus,
D 5 Dio-